

Book II Aeneid lines 268-297

268. Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
269. incipit, et dono divum gratissima serpit.
270. In somnis, ecce, ante oculos maestissimus Hector
271. visus adesse mihi, largosque effundere fletus,
272. raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
273. pulvere, perque pedes traiectus lora tumentes.
274. Ei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
275. Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,
276. vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes,
277. squalentem barbam et concretos sanguine crines
278. vulneraque illa gerens, quae circum plurima muros
279. accepit patrios. Ultro flens ipse videbar
280. compellare virum et maestas expromere voces:
281. ‘O lux Dardaniae, spes O fidissima Teucrum,
282. quae tantae tenuere morae? Quibus Hector ab oris
283. exspectate venis? Ut te post multa tuorum
284. funera, post varios hominumque urbisque labores
285. defessi aspiciamus! Quae causa indigna serenos
286. foedavit vultus? Aut cur haec vulnera cerno?’

287. Ille nihil, nec me quaerentem vana moratur,
288. sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
289. ‘Heu fuge, nate dea, teque his’ ait, ‘eripe flammis.
290. Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troia.
291. Sat patriae Priamoque datum: si Pergama dextra
292. defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
293. Sacra suosque tibi commendat Troia Penates:
294. hos cape fatorum comites, his moenia quaere
295. magna, pererrato statues quae denique ponto.’
296. Sic ait, et manibus vittas Vestamque potentem
297. aeternumque adytis effert penetralibus ignem.